

1378. AUXILIANTE SUPREMI NUMINIS
GRATIA

Sequentem Disputationem

DE

DEFENSIONE
NECESSARIA.

In celebri Argentoratensium Academia

SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILIS, AMPLISSIMI AC
CONSULTISSIMI

DN. GREGORII BICCII, I. V. D.

PANDECTARUM IBID: PROFESSO-
RIS CELEBERRIMI, h. t. COLLEG. JURID.

Decani, Præceptoris ac Hospitis sui
æternùm colendi,

Amicabili commilitonum examini submittis

CASPAR FRIDERICH von Kempendorff

Hereditz in Brusensfelde.

Ad diem 11 horis locoq; solitis.

•S:(o):S•

ARGENTORATI,

Typis EBERHARDI WELPERI.

M. DC. L.

15

1650, 1.

4.

2/2

um o-
bertas
ndique
ud est,
occu-
terium

ris no-
fo vult
mile &
m quæ
est, ut
magis


habere
uas in
divi-
hu-
est, ut
Si n.

on est
presta-
tatem
quibus
enti u-
am est

em per
æterea
m non
ere eos
em ille
Theo-
letique

e offi-




ILLUSTRISSIMO EXCELLEN-
TISSIMO CELSISSIMO QVE
COMITI AC DOMINO

DOMINO

JOHANNI OXENSTIER-

NA, AXELII FILIO, COMITIMOREAE
AUSTRALIS, LIBERO BARONI IN KYMITHO
ET NYNAAS, DOMINO IN FYHOLM, ALHUT,
HORINGSHOLM, SÜDERBÖO ET TYDOO, REGIA
MAIESTATIS REGNIQUE SUECIAE SENATOR, CONS-
LIARIO CANCELLARIAE ET PLENIPOTENTIA-
RIO LEGATO IN GERMANIA DOMINO
SVO GRATIOSISSIMO

*Hoc quicquid est exercitiij Academicij
in sui suorumq; commendationem
humiliter offert*

CASPAR FRIDERICH von Rempendorff/
Auth. & Resp.

I. N. D. N. F. C.

Ad omnia consilia omnesque actus semper
progredimur. l. In nomine. 2. C. de Offic.

Præf. Præf. Afric.

Dacidam collationem de defensionis
natura indaganda instituturi, eò commodius id fie-
ri posse arbitramur, si tradita prius definitione in
ulteriore deinceps disquisitionem progrediamur,
omnis enim, quæ de re aliqua suscipitur institutio,
debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo
disceptatur, l. si is qui. 13. §. utrum ita. 3. ff. de Reb. Credit.

THESIS I.

Est autem Defensio (vulgò Eine Nothwehr oder ge-
drungene Nothwehr Colleg. jur. Arg. lib. 48. tit. 8. thes. 6.) vel instan-
tis vel jam illatæ offensionis inculcata propulsatio. l. si quis 3.
ibi ad se venientem. l. si ut allegas 4. ibi: inferenda cadis C. ad L.
Cornel. de Sicar. l. Sed etsi 5. pr. ibi: ferro se petentem ff. ad L. Aquil. l. quod
est 3. §. eum igitur 9. ff. de Vi & vi armat. l. ut vim. 3. de Iust. & Iur. l. recte
possidenti 1. C. Vnde vi. Obr. in tract. de Necess. defens. c. 4. n. 1. & c. 11. n. 9.
Salam in d. l. ut vim 3. de Iust. & Iur. Wesenb. ad tit. C. quand. lic. unic.
fin. jud. n. 3.

II.

Et hæc offensionis propulsatio permessa est non solum de Jure Na-
rurali Gentium & Civili. l. Prætor ait. 1. §. vim vi. 27 ff. de vi & vi ar-
mat. l. quod est 3. §. Eum igitur 9. ff. eod. l. itaq; 4. pr. l. scientiam 45. §. qui
tum. 4. ff. ad L. Aquil. c. 1. de Pac. tenend. ibi si quis hominem 2. F. 27. Const.
Crim. Car. V. art. 139. ibi: Welcher eine rechte Nothwehr Sed & jure Di-
vino & Canonico. Luc. 10. vers. 27. Exod. 22, v. 2. Clem. Pastoralis circa
A 2 fin.

fin. de Sent. & Re iudic. c. dilecto 6. de Sent. excomm. in 6. c. non inferenda 2. 3. q. 3. c. 18. ante fin. X. de homicid. Schneid. lib. I. Inst. tit. 2. n. 11. Wesenb. in parat. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Cujac. 5. obs. 18. Gail. 2. obs. 110. n. 10. ibi **Gewalt mit gewalt zu vertreiben ist nicht verboten.** Treutl. vol. 1. disp. 1. 8b. 4. lit. 6.

III.

Quæ cum ita sint, dubitandum non est, quin quilibet se vitamque suam contra eum, qui sibi vim inferre tentat recte tueri possit, imo ex præordinata charitate debeat, si enim nefas est, ut dicitur in l. ut vim. 3. de iust. & iur. hominem homini insidiari, contra insidiis obsistere & vim atque injuriam per defensionem propulsare fas erit. dd. 11. Obr. 27. de defens. c. 1 n. 18. In tantum ut pœnam non mereatur, qui sui defensionis causa adversarium vel debilitat vel vulnerat, vel planè occidit, l. is qui. 2. ibi: nullam ob id factum. l. si ut allegas 4. in fin. pr. C. ad L. Cornel. de Sicar. quod enim lege permittente fit, punibile non est. l. Grachus 4. C. ad L. Iul. de adult. & defensor propriæ salutis in nullo peccasse videtur. l. si quis. 3. C. ad L. Cornel. de Sicar. Unde Salamon. in d. l. ut vim. 3. graviter, dicit, eum peccare & reum gehennæ esse, qui, cum se defendere possit, nulla justa subsistente causa se occidi permit- tit.

IV.

Neque hic ulla admittenda est personarum differentia, cum ea quæ sunt juris gentium, omnibus hominibus sint communia §. Sed ius 2. circ. med. Inst. de iur. Nat. Gent. & Civil. l. 1. §. ult. ff. de iust. & iur. & leges regulariter omnibus hanc potestatem tribuant, contra omnes tam masculos quam fœminas. l. ut vim. 3. ff. eod. ibi: quisque, quo omnes significantur. l. 1. ff. de Verb. Signif. l. hoc articulo. 29. ff. de hered. Instit. Const. Crim. Car. V. art. 144. ibi: **So wehre doch möglich daß ein grausahm Weib &c.** tam furiosos & Ebrios (in quibus non animum injurandi vel vim inferendi, utpote quo destituti sunt, sed ipsum factum consideramus quod vim continet, quam omni jure quisque repellere potest: l. 3. de iust. & iur.) quam sobrios & homines sanæ mentis Obr. d. tr. c. 6. n. 57. 63. tam laicos, quam Clericos, Monachos & alios cujuscunq̃ demum status aut conditionis illi sunt. c. si verò alicujus X. de Sent. Excomm. l. is qui 2. ibi: quemcunque C. ad L. Cornel. de Sicar. l. sed et si. §. ibi: quemcunque ff. ad L. Aquil. Berl. part. 4. conclus. 12. n. 28.

V. A

V.

A qua tamen generali concessione paucae excipiendae sunt personae, quibus haec defensio non facile conceditur, ut sunt I, Subditi qui adversus Magistratus etiam violenter & injuriose procedentes jus resistendi non habent, si modo in judicio servato juri ordine hoc faciant, damnumque reparabile sit, *l. continet 3. §. sed vim. 1. ff. quod met. caus. l. Quod Reip. 33. ff. de Injurijs l. quemadmodum 29. §. magistratus 7. ibi: si quid tamen magistratus &c. ff. ad L. Aquil. nam in damnis irreparabilibus vel etiam ijs casibus, in quibus Magistratus extrajudicialiter, de facto, contra jus subditos immoderate & atrociter animo occidendi vel percutit, vel vulnerat, aliter obtinet, *l. prohibitum 5. l. defensionis 7. C. de jur. fisc. arg. l. 32. ff. de Injurijs. ubi, cum nulla prorsus alia ratio expediendae salutis superat, naturalis ratio defensionis respectum istum subjectionis excludit & contra magistratum necessariam permittit defensionem Myns. 5. obs. 18. Obr. in tract. de defens. necess. c. 6. n. 31. & seqq. Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 32. th. 6. lit. f.**

VI.

II. Sontes & delinquentes, qui se officialibus & apparitoribus, à quibus ad carceres aut ad poenam trahuntur, justè opponere nequeunt, quia hi officio suo funguntur, & quae faciunt jussu Magistratus exequuntur, à quibus ipsis juris executio, quae vi caret injusta demandata esse censetur. *l. injuriarum 13. §. is qui 1. ff. de injur. l. non videntur 167. §. qui jussu 1. ff. de R. I. adeo ut ita resistentes vi atque vinculis coerceri imo in tali pugna atque concertatione impunè à lictoribus servato tamen moderamine inculpatae tutelae obrui & interfici queant. arg. l. si servus 4. C. de his qui ad Eccles. confug. Const. Crim. Car. V. art. 150. ibi: Mehr so jemand einen von Amptswegen zufahen gebühret der unzimlicher freventlichen und sorglichen widerstand thut/ und derselbe wiederfällig darob enkleibet wurde. Obr. d. c. 6. n. 41.*

VII.

III. Proscripti ob delictum aliquod seu in bannum Imperij declarati, quorum injusta censetur esse defensio, cum justè offendantur, salva enim quis conscientia eum, quem ob atrocitatem sceleris è medio tolli vult Magistratus, ob publicum bonum occidere potest, quia quilibet tunc minister justitiae constituitur. *textus est in Ordin. Cam. Imper.*



Imper. part. 2. tit. 9. vers. So jemand. ibi. Sollen des oder derselben Leib und Gut jedermänniglich erlaubet sein und keiner daran frevelen oder verhandelen können. Harp. §. Hac actio. 12. Inst. de Injur. num. 175. & §. Item Lex Cornel. §. Inst. de Publ. judic. n. 214. Excipe hic Uxorem respectu mariti & filium respectu patris, ut enim pater vel maritus à filio vel uxore occidatur pugnare videtur cum pietate, charitate & reverentia tam marito, quam patri debita. arg. l. si adulterium 38. §. Liberto 9. ff. ad L. Iul. de adult. l. liberto. 9. ff. de Obseq. parent. & patr. prest. quia ob delictum pater non desinit esse pater, nec naturalis consanguinitatis affectio amittitur seu extinguitur. l. jus agnationis. 34. ff. de Pact. l. jura sanguinis 8. ff. de R. l. Nov. 12. c. 2. in fin. Harp. d. §. 5. n. 217. Gail. de P. P. c. 10. lib. 2. n. 23. & seq. Carpz. part. Crim. 3. q. 140. n. 133.

VIII.

IV. Liberi, Uxores, Discipuli & Servi, qui Parentibus, maritis, Præceptoribus & Dominis graviter objurgantibus vel etiam verberantibus minimè resistant, cum his modica castigatio, quam justa causa præcedit, permittitur sit, l. si filius. 3. C. de Patr. Potest. l. unic. C. de Emendat. propinq. c. 17. caus. 33. quest. 5. l. sed etsi 5. §. si magister 3. in fin. ff. ad L. Aquil. l. item queritur. 13. §. Item Iulianus 4. ff. Locat. Obr. d. rr. c. 6. n. 13. n. 50. & passim. & quæ faciunt emendationis non injuriæ gratia facere videantur l. aut facta 16. §. causa. 2. ff. de pœnis. Interim tamen si forte accidat, ut prædictæ personæ injusti vitæ aggressores existant, ita ut vel filij vel uxores &c. non aliter quam cum internecione eorum propriam defendere possint vitam, justa defensio ijs deneganda non est, quia tunc aggressorum, non Parentum, Præceptorum &c. quorum potestas in pietate non in atrocitate consistere debet, l. Divus 5. ff. ad L. Pompej. de Parricid. vim repellunt. l. minimè 35. & gloss. ibid. ff. de religios. & sumpt. fun. Harp. §. Item Lex Cornelia §. Inst. de Publ. jud. n. 223. Berl. part. 4. conclus. 6. n. 62. & conclus. 12. n. 16. Nec amplius parentes & Domini talem habent potestatem in liberos & servos, qualem olim habuerunt, sed hodiè acerbè puniuntur si vel servorum vel liberorum fata nimis dura castigatione properent §. Sed hoc tempore 2. Inst. de his qui sui vel alien. jur. sunt l. unic. C. de Emend. propinq. l. unic. C. de Emend. Servor. l. unic. C. de his qui par. seu lib. occid. d. l. Divus Hadrianus 5. ff. ad L. Pompej. de Parricid. Ampliè. Dominus Præses in Reb. Quot. Sect. 1. th. 9. p. 57. Quamvis & hoc casu reverentia, quæ Parentibus, Dominis &c. debetur, omnes vias, modos, media, nempe fugam, clamores &c. ad declinationem

nationem periculi excogitandos esse monebit, cum grave sit tali se sanguine maculare.

IX.

Non autem solum vim & injuriam recte propulsamus à nobis; sed & à nostris, & qui nobis chari esse possunt, Item ab Extraneis & rebus nostris. Et quidem nostrorum, ut sunt Parentes, liberi, fratres, Conjuges, Affines, Consanguinei &c. defensionem quod recte suscipere queamus, minus dubij habet, cum hæ personæ parum à proprio distent corpore & illius quasi pars quædam sint. *l. ultim. C. de Impub. & alius substitut. c. admonere in pr. caus. 33. q. 2. l. Injuria 1. §. 4. §. ff. de Injuriis.* unde ijs non solum naturali cognatione sed & arctiori sanguinis, pietatis & affectus singularis vinculo præ reliquis ad necessaria officia obstricti sumus. *l. isti quidem. 8. §. fin. ff. Quod met. caus. Harp. d. §. 5. n. 130. Carpz. part. Crim. 1. q. 32. n. 2. Obr. d. tr. c. 7. n. 7. & seq.*

X.

Atque hæc non solum in legitimis & ex justis nuptijs procreatis liberis, sed & in illegitimis & naturalibus obtinent, quia affectio est ex jure naturæ, natura vero communis, neque differentiam facit inter utrosque *l. hos accusare. 12. §. omnibus 4. in fin. ff. de Accusat. arg. l. amplius 3. pr. ff. de liberal. causa. Nov. 74. c. 1. circa fin. Gail. de P. P. c. 10. lib. 2. n. 21.* Imo ad servos quoque & Dominos, Subditos & Magistratus, Milites & eorum præfectos, Vasallos & Dominos feudi accommodari possunt, sicut enim hi servos suos, subditos & Vasallos protegere tenentur. *l. præses 3. l. illicitas. 6. §. nepotentiores 2. l. congruit 13. ff. de Offic. præsid.* ita vicissim illi ratione subjectionis Dominis suis, Magistratibus & præpositis defensionem debent, *l. cum aliter. 1. pr. ff. de Scro Silanian. l. si quis 3. §. si maritus. 2. l. cum Dominus. 9. ff. eod. l. Omne 6. §. qui propositum 8. & §. Sed et. 9. ff. de re milit. 2. F. 7. ibi: contra omnem hominem. Carpz. part. Crim. 1. quest. 32. n. 8.*

XI.

An verò idem quoque de extraneis & nobis ignotissimis, quibus nulla speciali obligatione devincimur, sentiendum sit, multi in ambiguo relinquunt, cum tamen tam salus totius Reipubl. quam cognatio illa, quam natura inter omnes homines constituit, summopere suadere videtur, ut & his graviter oppressis & de vita periclitantibus succurramus,



mus, prout satis dilucide demonstrat Harp. §. 5. Inst. de Publ. jud. n. 131. Salam, in l. ut vim. 3. de iust. & jur. Berl. part. 4. conclus. 12. n. 45. Obr. d. tr. c. 7. n. 38. & seqq. Qui hoc adeo verum esse statuunt ut etiam quis impunè proximi defensionem omittere vel recusare non possit, præsertim si ab eo acclametur & ad iuvandum sollicitetur, æquè enim peccat, qui non defendit, quando potest, (nam ultra posse nemo obligatur nec crimen patitur, qui non prohibet, cum prohibere non potest l. nullum crimen. 109. ff. de Reg. jur.) ac qui offendit, l. scientiam. 45. princ. ff. ad L. Aquil. c. non inferenda. 7. caus. 23. quest. 3. c. quanta 47. X. de Sentent. excomm. c. sicut dignum 6. §. illi etiam X. de homicid. Mev. ad Jus Lub. lib. 4. tit. 8. art. 6. n. 14. Carpz. d. loc. quest. 32. n. 21. Obr. d. tract. c. 7. n. 42.

XII.

Non tamen aliter quis prædictarum personarum defensionem suscipere cogitur, quam quatenus id sine propriæ vitæ periculo & nece alterius sive aggressoris fieri potest, quilibet enim plus vitæ suæ quam alienæ providere debet. Grot. de jur. bell. & Pac. lib. 2. c. 25. n. 7. & opitulator facilè etiam sine aggressoris cæde efficere potest, ne alter vel gravius vulneretur vel occidatur. Præterea, quotiescunq̃ in legibus cædes ob defensionem facta probatur, animadvertere licet, ibi de propriæ tantum non alienæ vitæ tuitione tractari. l. ut vim. 3. de iust. & iur. ibi: corporis sui. l. itaq; 4. ibi: insidiantem mihi. cum l. seq. ibi: ferro se perentem. ff. ad L. Aquil. l. scientiam 45. §. 4. ibi: tueri se ff. eod. l. si quis 3. ibi ad se venientem C. ad L. Cornel. de Sicar. Clem. unic. ibi suum invasorem. de Homicid. ut ideo minus æquum videatur in re tanti momenti incerto jure vagari. Obr. tr. de defens. c. 7. n. 10. Nihilominus tamen, si forte in oppressi amici vel sanguine vel affinitate juncti, vel alterius cujuslibet auxilium occurrentes casu magis, quam voluntate homicidium committant, summa illa affectio, quæ inter illas personas est, & absentia doli animique occidendi, mitiorem exiget pœnam, quam est ordinaria. l. Lege Cornelia. 1. §. Divus 3. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Gail. lib. 2. obs. 110. n. 19. Obr. d. loc. n. 53.

XIII.

Et hæc ita procedunt, nisi lex specialiter in uno vel altero casu contrarium permittat, ut in defensione pudicitæ, ubi non solum ipsa patiens, sed & ejus parens & maritus interdum attentatæ pudicitæ periculum cum internecone ejus, qui stuprum inferre tentat, repellere possunt,

possunt. l. lex Cornelia. 1. §. Item Divus 4. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. parric
20. l. marito. 24. pr. ff. ad L. Iul. de adult. l. si adulterium 38. §. Imperator
8. ff. eod. Auth. si quis ei. C. eodem. Const. Crim. Car. V. art. 142. ibi: Als ge
schehen möchte daß einer unkeuscher wercke halber &c. quia hæc injuria fi
liæ vel uxori illata patri quoque & marito facta censetur. §. patitur. 2.
Inst. de Injur. l. injuria 1. §. item 3. ff. eod. & major bonis viris metus stu
pri quam mortis esse debet. l. isti 8. §. quod si 2. ff. quod met. caus. c. Si
Paulus 11. caus. 32. quest. 5. l. unic. princ. C. de rapr. virg. Hunn. ad Treutl.
vol. 2. disp. 1. th. 4.

XIV.

Probata defensione personarum, sequitur defensio rerum. Ec
res quidem nostræ vi invaluæ vi quoque defendi possunt, quia ipsa
natura docet quærere & quæsitâ tueri ad vitam necessaria. Salam. in
l. ut vim. 3. de Iust. & Iur. l. recte possidenti. 1. C. Vnde vi. gloss. in d. l. 3. de
Iust. & Iur. in verb. nam jure. Treutl. disp. 32. th. 6. Verum non ita ut in
valorem propter res sive viles sive pretiosas occidere liceat, nisi eo ca
su, quo vitæ simul creatur periculum. textus est in l. furem. 9. ff. ad L.
Cornel. de Sic. l. si pignore § 4. §. furem 2. ff. de furt. l. quod est 3. §. eum igitur
9. ff. de vi & vi arm. l. si ex plagis § 2. §. tabernarius. 1. ff. ad L. Aquil. l.
Liberam 1. C. quand. lic. unic. se fin. jud. vind. ibi: mortem quam minabatur
c. interfecisti. 2. ibi: te tuaque liberando. c. si perfodiens 3. ibi: si se telo de
fenderit X. de homicid. Invalor enim aut armis resistit defensori, no
lens res ablatas restituere aut relinquere, quo casu licitum est eum oc
cidere, eò quod periculum vitæ imminere possit Carpz. part. Crim. 1. q.
32. n. 27. nec obstat ei quod se in discrimen adduxerit, dum rem suam
cupit retinere aut occupatam extorquere, quia in his omnibus ei nihil
imputari potest, qui versatur in actu licito, nec cuiquam injuriam fa
cit, cum utatur jure suo. Hug. Grot. de Iur. Bell. & Pac. lib. 2. c. 1. n. 12.
aut cum re subtractâ aufugit vel eam sponte reddit, & tunc nemo ad
homicidium usque progredi debet, etiamsi fugientem àliter apprehen
dere vel res recuperari non possit. Berl. part. 4. conclus. 12. n. 39. Harp.
§. Idem Lex Cornelia §. Inst. de Publ. jud. n. 185. & 195. Obr. tr. de defens.
c. 8. num. 10. Expedi enim potius tunicam & Pallium relinquere
rerumque jacturam pati, quam pro vilibus rebus ita nos excan
descere, ut aliquem occidamus. cap. 10. X. de homicid.

Confer. Imperat. in l. sancimus 21. in fin. C. de
SS. Eccles.

A

XV. Ad



XV.

Ad defensionem rerum pertinet quoque defensio honoris & bonæ famæ, cum enim quilibet existimationis suæ rationem habere debeat. *Prov. 21. utpote quæ communi æstimatione vitæ adæquatur. l. iusta causa 9. pr. ff. de manum. vind. l. isti quidem 8. §. quod si 2. ff. quod metus caus. Gail. lib. 2. obs. 100. n. 6. meritò ignoscendum est ei, qui sibi illatam verbalem injuriam verbis repellit, & crimina objecta in conviciatorem retorquet l. qui cum 14. §. si libertus. 6. ff. de bon. libert. l. quæ omnia 25. ibi: caterum ferendus ff. de Procurator. Si modo sibi cavet ut non ad violentam profiliat defensionem, ea enim non meretur excusationem ubi alia præsto est. l. scientiam. 45. §. qui cum. 4. ff. ad L. Aquil. nec recurre relicet ad extraordinaria remedia, ubi ordinaria competunt. l. in causa. 16. princ. ff. de minorib. ut hoc casu, quò certa jure remedia prodita sunt, quibus injuriatus honorem tueri potest, ut actio injuriarum. l. 1. ff. & C. de Injur. Remedium L. Diffamari, & legitima retortio: d. l. 14. §. 6. ff. de bon. libert. & l. 25. ff. de Procurat. Gail. d. loc. n. 1. & 4. Myns. 5. obs. 17. Carpz. part. Crim. 1. q. 30. n. 71. Hunn. ad Treutl. vol. 1. disp. 18. thes. 7. quest. 9.*

XVI.

Notandum verò de Retorsione justè & legitimè instituenda, quòd illa fieri debeat. I. In continenti, nisi absenti inferatur injuria, cui etiam ex eo tempore, quo eam sibi factam esse scivit & retorquendi copiam habuit, retorquere licet, *arg. l. si ve. 2. §. confestim 43. ff. ad SCtum Tertyll. l. annus 6. ff. de Calumniat. Harp. §. hac actio 12. Instit. de Injur. n. 113. & 227. Gail. lib. 2. obs. 101. n. 5. Obr. d. tr. c. 2. n. 16. II. Animo defendendi & purgandi se ab illata injuria, nam si convicium provocanti objectum aliud factum concernat, ita ut ad provocari innocentiam non spectet, uterque de sua injuria agere potest. Gail. d. lib. 2. obs. 100. n. 9. Myns. 5. obs. 17. Mey. in comment. ad jus Lubec. lib. 4. tit. 4. art. 10. n. 3. & seqq.*

XVII.

Hic non incongruè in disquisitionem vocari solet, An quis verbis injuriosis ad duellum provocanti sui honoris defendendi causa parere debeat



debeat? Quod Negamus, nisi speciali principis seu supremæ potestatis concessione illud permittatur, Nam regulariter duella jure prohibita sunt *gloss. in l. unic. C. de gladiat. c. monomachia 22. caus. 2. quest. 5. Harp. §. 5. Inst. de Publ. jud. n. 177. & seqq.* nec privatorum conventionibus licitum evenire potest, quod jure illicitum est. *l. jus publicum 38. ff. de pact.* sed, cum nemo membrorum suorum Dominus sit. *l. liber homo 23. ff. ad L. Aquil.* duelli legem alteri imponere aut sibi imponi permittere non potest, Unde quoque David cum Goliatho in monomachiam concedere noluit nisi voluntate & suffragio Regis sui. Præterea nihil ejus existimationi detrahatur, qui sub honoris jactura bey Seinen Ehren evocatus non comparet, quia bonæ existimationis opinio non ab inimici criminatione sed à vitæ actionibus prolatis dependet, quibus, si provocatus se oneravit, nec quicquam injuriosa provocatione alter eas obfuscare poterit. *Wesemb. in parat. ff. de Injur. n. 18. circ. fin. Carpz. part. Crim. 1. q. 29. num. 72.* Et posito; quod boni viri fama profligati alicujus hominis maledictis quodammodo lædatur, auctoritate tamen judicis restitui & recuperari potest *Harp. §. hac actio. 22. Inst. de Injur. num. 206. Bachov. vol. 2. disput. 32. thes. 6. lit. g. Obr. tr. de defens. c. 11. n. 62.*

XVIII.

Ea verò omnia, quæ hæctenus de defensione necessaria dicta sunt, tum demum procedunt si fiant cum moderamine inculpatae tutelæ. Hinc, Imper. *in l. 1. C. Vnde Vi.* Recte possidenti, inquit, ad defendendam possessionem, quam sine vitio tenebat, inculpatae tutelæ moderatione illatam vim propulsare licet. *c. significasti 18. sub fin. X. de homicid.* Hoc autem in tribus potissimum consistit, nim: In justa causa, justo tempore & legitimo modo. *gloss. in d. l. 1. C. Vnde Vi. Schneidvv. §. 1. Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ. num. 15. Gail. de P. P. lib. 1. c. 16. n. 17. Cujac. §. obs. 18. Obr. d. tr. c. 10. n. 2.*

XIX.

Justa causa moderaminis inculpatae tutelæ requirit, primo, ut quis ab alio injustè (nam adversus justam & permissam vim non est permissa defensio. *l. continet. 3. §. sed vim. 1. ff. Quod met. caus.*) fuerit insultatus seu invasus & quidem ita, ut ei ex ista insultatione periculum

B 2

mortis



mortis immineat, quod aliter quam adversarium occidendo evadere non potest. *l. si quis. 2. C. ad L. Cornel. de Sic. l. furem nocturnum 9. ff. eod. § Injuria. 2. Inst. ad L. Aquil. Clem. unic. ibi: qui mortem aliter. de homicid. Const. Crim. Car. V. art. 142. ibi: So der Kläger der ersten tödtlichen anfechtung/ darauf als obsteher die Nothwehr gegründet &c. & artis. 140. ibi: So einer jemand mit einem tödtlichen Wafften oder Wehr überkauffte ansicht oder schlegt &c. Deinde, ut propulsatio defendendi non ulciscendi animo sit facta. Salam. in sapius alleg. l. ut vim 3. Gloss. in l. 1. C. Unde vi l. scientiam 45. §. qui cum. 4. ff. ad L. Aquil. quod ex qualitate facti, personarum, Item ex apparatu, ex minis & alijs circumstantijs metiendum est, ut notat gloss. in d. l. 1.*

XX.

Dixi quod quis injustè insultetur, unde nata est quæstio, An ita invasus tantisper expectare cogatur donec prius vulneretur vel percutiatur, an verò justo tempore & armorum terrore motus insultatori arma arripienti in tempore obviare & resistere possit? Nos posterius affirmamus per *l. sed etsi 5. prins. ff. ad L. Aquil. l. si quis 3. l. si ut allegas. 4. C. Ad L. Cornel. de Sicar. l. liberam. 1. C. quand. lic. unic. se fin. jud. vind. gloss. in l. quod est. 3. §. qui armati 5. ff. de vi & vi arm. Const. Crim. Car. V. artis. 240. ibi: Ist auch mit seiner gegenwehr bis er geschlagen wird zuwarten nicht schuldts Grot. de jur. bell. & Pac. lib. 2. cap. 1. num. 5. Colleg. Jur. Arg. lib. 48. tit. 8. thes. 7. Salam. in d. l. 3. Harp. §. 5. Inst. de Publ. jud. num. 114. Nam & Impetus offendentis præsensque armorum maximè lethalius terror insultatum in vitæ discrimen adducunt. Gail. de PP. l. 1. cap. 16. num. 21. Schneidvv. d. §. 1. Inst. de Jur. Nat: Gent. & Civil. num. 15. & qui in vitæ periculo constitutus est, justè se, etiam cum internecone alterius, defendit, *l. si qui. 2. C. ad L. Cornel. de Sicar. Obr. d. tr. cap. 11. num. 9. & seqq.* Imo solæ quoque minæ ad jus occupandæ defensionis admittuntur, si modo minitator illico minas executioni mandare consuevit & in actu eas exequendi sit, ita ut periculum subsit cunctationi, nam alias minæ, quæ verbis tantum vel gestibus fiunt, pro insultu non habentur, nec tale creant periculum, quod aliter verbis vel judiciali autoritate propelli & declinari nequeat. Harpr. d. §. numer. 119. Obr.*

XXI.

Deinde dixi, quod insultatio ita debeat esse comparata, ut insultato periculum mortis immineat, unde apparet, quod, si in vasus invadenti grave vulnus inflixit, manus amputavit vel alia ratione vim ejus satis fregit, ita ut offensio profors cesseret, nullumque periculum in vasus amplius metuere possit, non debeat alteri per vim amplius resistere, multo minus eum omnino interficere. *Const. Crim. Car. V. artic. 142. vers.* Oder so der Kläger in diesem fall eine solche meinung fürgebe daß der eingezogene Todtschläger darumb keine rechte Nothwehr gethan hette / daß er des entleiberen / da er Jhn erschlagen hette / ganz mechtig und von der Nothwehr entledigt gewest. Simili modo nec adversarium post factam aggressionem cedentem, fugientem, vel etiam vim illatam remittentem insequi & transfigere licet. *d. artic. 142. ibi:* Oder meldet daß der entleibere nach gethaner ersten bedürftigung gewichen und der todtschläger auß freyem willen und ungedulziger dinge nachgefolgt und Jhn allererst in der nachfolg erschlagen. Quod tamen locum non habet quando periculum subest, quod aggressor retrocedens vel fugiens reassumtis viribus ad ulteriorem pugnam decedat, Sed eo casu justissima est defensio, ut inquit Salam. *in l. 3. de Inst. & Jur. quæ præripit nocendi facultatem & ideo urge re cedentem inimicum & ejus consilia prævenire ne vires nevè spiritus resumere ad offendendum valeat, defendentis est.* *Hunn. ad Trentl. volum. poster. disp. 32. thes. 6. quest. 62, Obr. d. 11. cap. 11. num. 26. & seqq.*

XXII.

Denique dixi si insultatus periculum mortis aliter, quam adversarium occidendo, evadere non possit, Unde infertur, quod is, qui periculum illud fuga vel eludere vel evitare potest, eam potius arripere, quam cum interneccione aggressoris resistere debeat, modo id absque vitæ periculo fieri potest *ad. jurib.* nam si insultato fugienti immineret periculum scil. cadendi, aut obeso esset corpore vel senio confectus, vel valetudine debilis ita ut difficulter fugere



gere possit, aut etiam insultans staret prope insultatum, ita ut facile eum, dum terga vertit, comprehendere & offendere possit, necessitas fugiendi ei imponi non potest, non quidem propterea quod turpe sit fugere & fortitudini masculinæ congruere non videatur leporis instar se in pedes conjicere cum degeneres animos timor arguat *Virg. lib. 4. Æneid. princ.* Nam ea fuga quæ non ignaviæ sed homicidij vitandi causa sit, turpis non est, & prædicta tantum observantur in Militibus, qui in acie contra disciplinam militarem & sacramentum militiæ, non sine commilitonum & boni publici periculo hostem fugiunt *l. omne. 6. §. qui in acie 3. ff. de re militar. l. 1. pr. ff. de his qui not. infam.* Item in Vasallis, qui Dominos suos in prælio periclitantes nec lethaliter vulneratos dimittunt *1. F. 5. pr. & 21. §. ult. in fin. 2. F. 24. §. 2. pr.* Et in maritis, qui adulterum vilem cum uxore sua domi depræhensum armisque resistentem fugiunt, eumque cum uxore relinquunt. *Harp. d. §. 5. instit. de Publ. judic. num. 125.* Sed quia hoc modo fieret ut fuga non quædam esset defensio, sed sui ipsius in majus malum præcipitatio, Nemo autem se periculo exponere tenetur *arg. l. non exigimus 2. §. penult. in fin. ff. Si quis caut. jud. sist. caus. fact.* Neque hic excipimus nobiles & alios in quadam dignitate constitutos, cum his nullibi in jure speciale privilegium concessum legimus, cujus vigore hoc in casu insultantes occidere queant. *Carpz. part. Crim. 1. q. 30. num. 59.*

XXIII.

Legitimus modus est, ut quis non plus faciat quam oportet, nec major vel atrocior sit defensio, quam est vis & injuria, quæ infertur, veluti si armis vis inferatur, armis repellatur, Si verò pugnis aut verbis tantum res agatur simili quoque modo repellatur. *l. Prætor ait. 1. §. vim vi 27. l. quod est. 3. §. eum igitur 9. ff. de vi & vi arm. Salam. in d. l. 3. gloss. in l. 1. C. Unde vi. Schneid. d. §. 1. num. 15. Obr. tr. de defens. cap. 10. num. 3.* Quod tamen ita declarandum est, ut dicamus non semper ejusdem speciei armis opus esse, quia armorum æqualitas ita in continenti comparari non potest, & quicquid tale non fit in continenti vitiosum est, nec leges discernunt armorum genera, quibus defensio fieri debet, sed gladius sæpè quicumque nobis interim ab ipsis permittitur, dum defensionis modus non exceda-

cedatur. *l. ut vim. 3. de last. & Tur. l. is qui. 2. l. si quis 3. C. ad L. Cornel. de Sicar.* Hinc si gladio vel hasta aggressor me parvo duntaxat Sclopeto instructum hostiliter invaderet, Ego me aliter defendere non valens Sclopetum in ipso assultu exonerare & sic adversarium globulo trajicere possum, nam ea, quæ ex improvise casu potius quam fraude accidunt fato plerumque non noxæ imputantur. *l. frater 1. in fin. C. Ad Leg. Cornel. de Sicar.* Nec curanda æqualitas, ubi evitari nequit necessitas, ideo cum Plauto dicere licebit, Si tibi machæra est in manu, mihi est Urbina domi. *Salam, in d. loc. Carpz. part. Crim. 1. quest. 28. num. 25. & seqq. Obr. d. tr. cap. 10. num. 7. 8. & seq.*

XXIV.

Tempus denique est, ut defensio statim & Incontinenti fiat. *l. quod est 3. §. Eum igitur 9. ff. de vi & vi arm. Cuj. 5. obs. 18. Gail. lib. 1. de P. P. cap. 10. num. 17.* quod in defensione personarum ita accipitur, quando in aggressu ipso atque in pugna continuatione, flagrante adhuc maleficio, non divertendo ad alios extraneos actus exdes committitur. *Berl. part. 4. conclus. 13. num. 41. Hunn. ad Treutl. volum. 1. disput. 18. thes. 7. quest. 10. Obr. d. loc. num. 19.* In defensione vero rerum, quarum non tantum simplex defensio, sed & eas asserendi & recuperandi jus permissum est, paulo latius & effusius dicitur quid esse factum in continenti, nam si bonis nostris vis inferatur, aut quis vi de fundo suo dejiciatur, non solum rectè eo tempore, quo ejus notitiam habere cœpit, resistit, sed & si per se fundum ereptum recuperare non valeat, tantum ei adhuc temporis indulgendum est, quo amicos accersere & ipsorum auxilio eum iterum consequi possit. *Ordinat. Cam. Imper. artic. 9. part. 2. in fin. ibi: zu frischer That oder wann Er sein Freunde und helffer haben mag. Gail. de P. P. lib. 1. cap. 16. num. 13.* modo hoc facit antequam ad extranea divertit negotia, *gloss. in d. l. quod est. 3. §. 9. ff. de vi & vi armat.* Nonnulli hoc tempus, quo pro recuperanda possessione defensio incontinenti facta dicitur, biduo, alij triduo describunt, Verum quia certa lege definitum non est, arbitrio iudicis id moderatè statui oportet. *l. si servus 1. §. cum dicit 2. ff. de jur. deliber.*

XXV.

At si forte fortuna contingat, ut quis adversarium non observatis tam strictè ijs, quæ circa legitimum tempus, modum & causam observanda sunt, interficeret, quæstio maximi momenti oritur, an & qua pœna interfector sit afficiendus: Quamvis autem nos non lateat, plerosque tali casu indistinctè pœnam arbitrariam statuere, quod auctoritate communis opinionis volunt magno numero laudati à *Carpz. in jurispr. Crim. part. 1. quest. 29. thes. 4.* certissimis tamen juris principijs edocti credimus maximopere distinguendum inter excessum defensionis, qui defectum causæ arguit, & inter excessum inculpatæ defensionis, qui cum tempore atque modo pugnat; Ille enim nec offensionem veram nec aliquam defensionem, hic verò qualem qualem defensionem præsupponit, adeoque iste pœna homicidij ordinaria, veluti homicidium non defensivum, hic verò mitius extra ordinem coercendus, id quod ex Mario Salomon. *in repet. d. l. 3. num. 10. de iust. & iur. diligenter inculcat scæpius citatus Dominus Carpz in prax. Crim. d. part. 1. quest. 28. n. 16. & quest. 29. num. 34. 35.* quam priorem mortis pœnam ob defectum veræ insultationis adeoque propter excessum defensionis, etiam distavit amplissima hujus Universitatis Facultas juridica In causa Fiscalis Archiepiscopi Bremensis, contra H. S. anno 1642. Mens. Majo. Posteriores arbitrariam pœnam suadent, *l. Si adulterium. 38. §. Imper. 8. ff. ad L. iul. de Adultr. l. Gracchus 4. C. Rod. Const. Crim. Car. 7. artic. 142. circ. fin. ibi: Remblich ist hierinn zumercken. Schneid. §. 1. Inst. de iur. N. G. & C. num. 18. Gail. lib. 2. obs. 110. num. 15. & de P. P. lib. 1. cap. 16. num. 19. Carpz. part. Crim. 1. quest. 29. num. 1.* Et hæc de moderamine inculpatæ tutelæ.

XXVI.

Restat nunc probandi periculum & necessariam defensionem ratio, Non enim confestim ei, qui homicidium ad sui defensionem à se factum esse prætendit, fides adhibenda est, sed si se ab omni
pœna



pena tam ordinaria quam extraordinaria liberare vult, probare
tenetur non solum quod primò fuerit insultatus seu aggressus, sed
& quod moderatam fecerit defensionem, omniaque requisita mo-
deraminis inculpatæ tutelæ observaverit. Ratio est, quia omne
malefactum pravè & injustè præsumitur actum, & præsumptio in-
nocentiæ non pro occidente sed occiso militat. *l. frater. 1. C. ad L. Cor-
nel. de Sic. c. frater vester. 47. dist. 50. cap. 11. vers. Si quis hominem de
Pac. tenend. 2. F. 27. Const. Crim. Car. V. artic. 141. ibi: Welcher sich
aber nach ersindung der That einer gethanen Nothwehr berühmet oder
gebrauchen wil und der Ankläger deren nicht gestendig / So leget daß
Recht dem Thäter auff solche berühmte Nothwehr zu Recht gnug zube-
weisen / beweist er die nicht / Er wird schuldig gehalten. Gail. lib. 2. obs.
110. num. 14.*

XXVII.

Verum ad prædicta probanda favore defensionis & Innocen-
tiæ admittuntur testes alias minus idonei, ut sunt mulieres, do-
mestici, consanguinei &c. Item testes de credulitate tantum de-
ponentes & testimonia occisi, quibus percussorem ante obitum
sublevat & ostendit se propria culpa perire. *l. Divus Marcus. 2. ff.
de Scto Silanian. Nec præsumptiones, Conjecturæ (quæ iudicis
arbitrio committuntur Gail. de P. P. lib. 1. cap. 16. num. 22.) Et
aliæ circumstantiæ respuendæ sunt, præsertim si cædes nemine præ-
sente & vidente facta sit aut ex dictis testium, quis primus fuit
aggressor, non appareat. de quibus Consule Gail. alleg. loc. num. 22.
& seqq. Obr. in tr. de defens. cap. 14. num. 53. 54. & passim. Carpz.
part. Crim. 1. quest. 33. Berl. part. 4. Conclus. 14. num. 14. & seqq.*

XXVIII.

Quod si verò reus homicidium se sui defensionis causa com-
misisse dicat, sed nec testem neque præsumptionem aliquam præ
se habeat, ex qua qualitas confessioni adjecta aliquo modo colli-
gi possit, eò quod vel nocte vel in via cædes facta sit, tunc, se-
cundum communem Doctorum opinionem, cæteris paribus ad
eruellendam veritatem torturæ subjici potest, Constat enim in pro-
posito

C

posito



posito casu reum fuisse homicidam & sic doli adversus eum fortis-
sima præsumptio atque suspicio est, rectè ergo de eo quæstio ha-
betur. l. in criminalibus. 1. §. sed et. 1. ff. de question. Wesenbec. in
Parat. ff. ad L. Cornel. de Sicar. num. 22. Carpzov. d. loc. num. 53.
Berl. part. 4. conclus. 15. num. 28. & seqq.



Atura lex est vim vi depellere oportet;

Cui ratio metam figit, & arte modum

Præscribit, juris quam sacra volumina pandunt

Quam Themidos Mystas enucleasse juvat,

Hæc tibi materies lecta est: defensio justa

Ingenij specimen debuit esse tui.

Sic generosa decet Generosos voluere mente,

Quæ ratio præfert, ipsaq; jura facem.

Nunc age; conflictus superest, defensio justa

Propugnanda tibi, causaq; justa tibi.

Tu modo constanter vim vi depelle, timorens

Exue, Victoris palma parata tibi.

L. M. E.

pp.

Clamer Ledebuhr/
Nob. Westph.

Deutsch



1.
I Eutsch vnd deutlich will ich sprechen:
Von der Rechten Gegenwehr /
Das dieselbe nicht von frechen
Menschen flussend komme her /
Noch auß vngeräumten Sitten
Der verführischen Natur /
Sondern sie sey recht vnd mitten
Ausz der starcken vorsorgs. Schnur
Damit GOTT die ganze Welt
Von dem vntergang erhelte.

2.
Wiltu Zeh sol mich nicht wehren
Eys so mustu mein Gemüht
Oder Seele ganz verkehren
Eh du nimmest mein Geblüth
Nemlich du must mir abschaffen
Die begierde die Zeh trag
Zu dem Essen / trincken / Schlaffen /
Freyen / Nehren langen tag /
Dan die semplich schön vnd hell
Flüssen her auß einer quell.

3.
Aber du must auch wol wissen
Was da sey die Gegenwehr

Was

Was da Behren / Noth und Müssen
Was da Rach / Glimpff und Vnehr.
Dieses alles dich berichtet
Hie zuvor geschriben Reche
Meines Bruders / der entschlichtet
Was hie gut / frumb / böß und schlecht.
Darauff schließ Ich küniglich
Secht in Noht und wehre dich.

Peter Lorenz von Kempendorff.

*P*restans Palladia Sympatriota cohortis
Miles, ingenui pariter Patris inclyta proles,
Sub Ducis egregij intrepidus moderamine pugnam
Suscipis, Et celfo mentis conamine tentas.
Non petis innocuos igni ferroq; colonas,
Verum dexteritate tuâ, defensio justa
Qua sit cuiq; doces cathedrâq; loquente tueris.
Sic igitur pergas tanto spiramine castra
Asserere Aonidum, palmaris victor abibis
Militiaq; tuâ condigna brabeja tenebis.

Sic tibi Nobilissime atque Doctissime
Domine Respondens Conterranee
suavissime gratulatur.

Joachimus Löperus,
Starg. Pomer.

os:(o):so




X 2615934

wort







1319. AUXILIANTE SUPREMI NUMINIS
GRATIA
Sequentem Disputationem
DE
DEFENSIONE
NECESSARIA.
In celebri Argentoratensium Academia
SUB PRÆSIDIO
VIRI
NOBILIS, AMPLISSIMI AC
CONSULTISSIMI
DN. GREGORII BICCHII, I.V.D.
PANDECTARUM IBID: PROFESSORIS
CELEBERRIMI, h. t. COLLEG. JURID.
Decani, Præceptoris ac Hospitis sui
æternum colendi,
Amicabili commilitonum examini submittit
CASPAR FRIDERICH von Kempendorff/
Hæredit: in Brunsfelde.
Ad diem 11 horis locoq; solitis.
Ⓞ:(o):Ⓞ
ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI.
M. DC. L.

15

1650, 1.

4.

22

